432
14/5ch

F. ANTONINI VALSECHII

ORD. PRÆDICAT.

IN

GYMNASIO PATAVINO

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS P.

ORATIO

AD

THEOLOGIAM.

PATAVII, MDCCLVIII.

Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

'414

Digitized by Google

JOANNI EMO
D. Marci Procuratori,
JOANNI MOCENICO
Eq. & D. Marci Procuratori,
MARCO FUSCARENO
Eq. & D. Marci Procuratori,
GYMNASIO PATAVINO REGUNDO
TRIUMVIRIS,
TOTIQUE EORUM ORDINI

F. Antoninus Valſechius Ord. Præd.
F.

QUod graviſſimo judicio veſtro, Auguſtique Senatus beneficio immortali delatum mihi munus eſt, alacri animo capeſſivi. In Patavino Gymnaſio, cui admini-

Digitized by Google

ſtrando ſumma cura & prudentia præſtis, e ſuperiori loco primum dixi. Quæ in hac tanta ſcientiarum luce fudi, patienter benigneque excepta ab humaniſſima æque ac ſapientiſſima concione fuiſſe confido. Cum vero conſilii inſtitutique mei rationem reddendam Vobis a me eſſe intelligam, quid Theologiæ univerſæ præfatus ſim, habetote. Judiciis veſtris ſpecimen ſubjicio, quod utinam & ingenii videatur vobis eſſe, quemadmodum eſt voluntatis. Magnum opus profecto, & arduum veſtro me imperio conari videbitis: perficiundi copiam faxit Deus. Neque labori, neque ſtudio parcam, ut voluntati

ve-

Digitized by Google

veſtræ, quæ ſapientiæ, religionis, æquitatis plena eſt, obtemperem: Hac ratione referre forſitan gratias potero, quas pro collati in me beneficii magnitudine habeo interim vobis, habeboque, dum vixero, ingentes. Claritati generis, atque Ordinis majeſtati par vobis clementia eſt atque humanitas: ſumma omnia: hinc mihi animus opellæ omnino exiguæ nomini veſtro, totique Ordini præſtantiſſimo inſcribendæ: atque hinc una ſpes, eam Vos æqui bonique facturos. Qui oblata quotidie a clariſſimis Almæ hujus Academiæ Profeſſoribus immortalia Opera excipitis, levem illius conatum, qui veſtro mune-

Digitized by Google

re, eorum adjunctus nuperrime Collegio eſt, ne dedignemini. Vos Senatores Ampliſſimi, æternamque Rempub. Religionis tutelæ, Italiæ decori, Gymnaſii noſtri felicitati Deus O. M. fortunet.

Patavio Kal. April. MDCCLVIII.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

ETſi ea eſt ampliſſimi loci hujus majeſtas, præclariſſimorum hominum frequentiæ dignitas, atque ſuſcepti a me hodie muneris difficultas; ut neminem unum eſſe putem vel præſtanti eloquentia, vel doctrina eximia præditum, qui cum ad dicendum primum acceſſerit, ſe non vehementer commoveri ſentiat; idque mihi præ ceteris, cui & mediocre ingenium, & ingenii opes per quam exiguæ, jure meritoque contingat; ubi tamen in vultus veſtros A. A. intueor, ubi aulam hanc circumſpicio, ubi me Patavii dicere intelligo, protinus recreor, in ſpem erigor, & mira quadam atque incredibili

Digitized by Google

prorſus alacritate perfundor. Enimvero nulla unquam in me delevit oblivio temporis illius recordationem, quum primum ad Urbem hanc adventantem, atque in Eccleſia principe verba facientem Vos, Patavini mei ornatiſſimi nobiliſſimique, me rudem adhuc divini eloquii præconem non patienter modo, ſed benigne attenteque audiſtis: conatuſque illos meos judicio veſtro ita comprobaſtis, ut alacri deinceps erectoque animo celeberrimas Italiæ Urbes viderim, frequentes hominum cœtus, aulas ipſas, Principeſque Viros pro concione alloquutus ſim; fore ratus, id quod firmavit eventus, ut ſi quid probaſſet Patavium, gentes reliquæ pronis eſſent auribus excepturæ. Neque ſane opinionem hanc, voluntatemque in me veſtram aut temporis diuturnitas, aut locorum diſtantia imminuit, immutavitve. Cum enim Carolus Rezzonicus Vir purpuratus, in cujus fidem atque clientelam Patavina ſacra conceſſerant (quem utinam diu hæc Urbs, imo Eccleſia univerſa incolumem, felicem, beatiſſimumque videat!) me arceſſiſſet, ut coram ſe iterum atque tertio, (periculum

her-

Digitized by Google

hercle alea plenum) de divinis rebus publice dicerem ; vos & frequenti conſeſſu, & ſecundis admurmurationibus ſtudium amoremque erga me priſtinum declaraſtis. Quid plura? cum is, qui locum hunc ipſum tenebat, Jacobus Mora, homo profecto & copia doctrinæ, & ſuavitate morum omnibus carus ; mihi vero diuturna familiaritate cariſſimus ; per id temporis, quum apud vos eram, fato ceſſiſſet, quam ipſe depoſuerat provinciam, ea plurium veſtrum una voce, ſtudiis, fauſtoque omine ad me protinus translata eſt. Quod profecto munus cum ſumma Venetæ Reip. beneficentia ac liberalitate mihi tandem delatum ſit, quemadmodum graviſſimum illud, æque ac perhonorificum per ſe eſt, ſpero etiam futurum mihi pro iſta veſtra in me tanta, tam firma, tamque perſpecta humanitate pergratum perque jucundum. Veſtrum etenim neminem A. A. in ea hæreſi eſſe puto, quæ Sacri, quod hactenus ſuſtinui, Oratoris munus, quodque nunc capeſſo Theologiæ Doctoris officium, disjuncta ita inter ſe, ac diverſa eſſe cenſeat, ut quaſi in alienam modo ignotamque prorſus regionem invadentem me ſtupeat

peat

442

peat atque miretur. Conjuncta eſſe iſthæc atque cohærentia, vobis compertum Viris graviſſimis doctiſſimiſque eſſe ſcio. Unde enim, amabo vos, Oratori Chriſtiano, qui non pigmentis fucoque puerili allicere cœtus, ſed via & ratione docere ac permovere mentes hominum velit; unde, inquam, argumenta propria atque certiſſima petenda ſunt, niſi penitus ex intima Theologia? An ego vero pro dignitate id præſtiterim, veſtrum eſto judicium. Id unum probe teneo: ſummos illos, qui ſtrenue præ ceteris officia iſthæc obiere, Viros, quam amico ea inter ſe jungantur fœdere, copulenturque, ſat ſuperque monſtraſſe. Et ſane, ut veteres Eccleſiæ Patres, Auguſtinum imprimis Theologum ſubtiliſſimum æque ac Oratorem eloquentiſſimum, prætercam; quis Theologorum facile principem Thomam Aquinatem fuiſſe ignoret? At porro nonne & ipſe, dum in Academia Pariſienſi Theologiam publice profiteretur, in Eccleſia itidem Pariſienſi; tum Romæ poſtea ex Vaticano; tum alibi quam ſæpiſſime graviſſimas celeberrimaſque conciones habuit, quarum ſpecimina inter cetera ingenii

genii

genii ſui monumenta reliquit? Quem veſtrum Alberti illius Magni nomen latet, qui & Thomæ Præceptor, & in hac ſcientiarum arce diſcipulus, & Theologus ſua ætate ſummus fuit? At idem hercle nonne & *eccleſiaſtes*, prout ea ferebant tempora, eloquentiſſimus habebatur? Verum ut alia plurima tum domeſtica, cum externa miſſa faciam exempla, unum appello Sixtum Medicem, qui medio ſæculo XVI. ad Theologiam ex hoc ipſo, quem teneo, loco docendam S. C. accitus, quam annos ferme triginta in ſacro ſuggeſtu eloquentiæ laudem comparaverat, eximiæ hic doctrinæ fama cumulavit. Quæ profecto eo a me dicta conſilio ſunt, ut quamvis ab immortalium Virorum ingenio atque ſapientia me abeſſe plurimum, & prope immenſum agnoſcam, dum tamen provinciam, quæ præſtantiſſimorum Triumvirum decreto mihi demandata eſt, alteri, quam depoſui, conjunctam eſſe intelligo: æquali vos atque eadem prorſus humanitate me proſequuturos eſſe confidam; & quem in Templo orantem peramanter audiſtis, in Gymnaſio docentem liberaliter excepturos.

Cu-

444

Cujus igitur Religionis Chriſtianæ ſcita ad ciendos pios animi motus, coercendaſque cupiditates e ſacro editoque loco vobis audientibus faventibuſque propoſui: ejuſdem myſteria ac dogmata & in hac Schola, habita tamen loci inſtitutique ratione, quam mihi ſatis perſpectam eſſe confido; ſtudioſæ Juventuti ad fidem alendam, augendam, conſervandam, enarrabo quam diligentiſſime, & contra impiorum hominum fraudes erroreſque tuebor atque defendam. Magnum opus omnino & arduum, quod tamen *& quantum difficillimis hiſce Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus neceſſarium ſit, & qua ratione perfici a nobis cumulate poſſit*, mox paucis dicam. Vos qua ſoletis benignitate, diligenter attendite: ſed tu cum primis, in quem oculos mentemque converto, Eques ac Senator ampliſſime qui ſapienti regimine Urbem hanc celeberrimam beatam efficis; dicentem coram te comitate & clementia erige & fave.

Primum ego neminem eſſe puto, qui ambigat, nihil præſtantius a D. O. M. tributum eſſe hominum generi Religione. Hæc caſtiſſimum ſanctiſſimumque cultum

nos

nos edocet, quo Deum ipſum pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur: hæc nobis, quid perſequendum, quid fugiendum in vita ſit, demonſtrat, menteſque noſtras his virtutibus ornat, quas æternum a morte maneat præmium beatitatis: hæc denique hominum inter ſe jura decernit, fœdera firmat, ſocietatemque civium, Deo interpoſito tum judice, tum teſte, incolumem ſervat atque felicem. Religionem porro cum dico, eam in primis intelligo, quæ Litteris nobis divinitus datis revelata e Cœlo eſt, quam olim Prophetæ ex Hebræa gente egreſſi prænunciarunt, quam Filius Dei caro factus verbis docuit, miraculis confirmavit, ſanguine ſanxit; quæ demum non ſolum agenda decernit, ſed ad ea, quæ decreta ſunt, perficienda vires præpotentes ſuppeditat voluntati.

Divinam porro hujuſce Religionis originem, eorumque, quæ ipſa edicit, dogmatum veritatem, vel negari a ſanæ mentis homine, vel in dubium vocari potuiſſe, putaſſet profecto nemo; tam perſpicuis enim inſignita notis eſt, tam multis tamque gravibus confirmata argu-

men-

4 4 6

mentis, ut neque obſiſtere viſis, neque aſſenſus ſuos firme ſuſtinere quis poſſit. Nam ſive ethices ejus ſanctitatem ſpectes, quid caſtius? ſive theorices veritatem, quid purius? ſive ſtyli præſtantiam, dum de divinis rebus diſſerit, quid auguſtius? Hæc efferatos gentium mores fregit, hæc Philoſophorum fallacias diſſolvit, hæc idolorum aras evertit, hæc Tyrannorum immanitatem devicit, hæc Crucis vexillum in omnium terrarum arce, Romam dico, non militum armis, ſed Martyrum ſanguine ſtipata collocavit: hæc denique & miraculorum gloria præſtans, & oraculorum veritate firmata, ab eo profecta auctore cernitur, qui & ſumme potens naturam univerſam moderatur, & ſumme ſapiens futura prænoſcit. Quæ pauca A. A. a me hactenus enumerata, ſi neque ſingula ita fieri potuerunt, multo minus profecto univerſa adeo connexa, ac inter ſe concinentia potuiſſent, niſi ea uno, divino, & continuato Spiritu continerentur. Quod quidem argumentandi genus ita in neceſſaria demonſtratione verſari mihi videtur, ut hoc quod dico, divinam videlicet Religionis originem extra omnem

aleam

aleam dubitationis ponat; &, quod conſequens inde fit, ſingulorum ejus dogmatum veritatem perſpicue ſtatuat atque decernat.

Verum proh dolor! Cum Religio iſthæc firmis adeo nixa fundamentis, alia tamen edoceat, quæ comprehendi nullo modo poſſunt, aliaque jubeat, quæ effrenatas comprimunt humani cordis cupiditates; en oblata protinus inſolentiæ hominum perfidiæque perpetua defectionis, imo & odii in eam, bellique occaſio. Et ſane, vix dum ex oculis diſcipulorum ſublatus *Auctor Fidei*, *& conſummator Jeſus* in Cœlum conſcenderat, cum repente Religio hinc immanitate Ethnicorum; hinc hæreticorum erroribus petita eſt: & quamvis prior illa procella poſt Juliani Cæſaris fata evanuerit, turbo alter veritatis & pacis continenter ſæviit. Quodlibet Sæculum nova monſtra protulit, a quibus ſicut alia poſt alia dogmata fœdata ſunt: ita Patrum, Doctorumque hominum virtus modo in his, modo in illis vindicandis enituit; donec tandem ad Sæculum Eccleſiæ XVI. deventum eſt, quum duo illæ peſtes Calvinus atque Lutherus,

4 40

e puteo abyſſi, ut Apocalypſeos phraſi utar, eruperunt: & ecce vobis quaſi bellicum cani cœptum, & coacto agmine errorum omnium præteritorum, non ſolum Religionis mœnia concuti, ſed arcem ipſam totius Fidei atque pietatis novis molitionibus effrenatius tentari.

Enimvero cum perduellium illorum aſſeclæ, ubi ab unitate veritatis deſciverunt, in ſumma ſint licentia ac varietate ſententiarum conſtituti, quid non comminiſcuntur in dies, quid non effutiunt, quid non conantur? Modo cum Manichæis hominum voluntates libertate ſpoliatas fatali neceſſitate devinciunt, modo cum Pelagianis naturæ vires exaggerantes, auxilia gratiæ aſpernantur. Iſti cum Albigenſibus virtutem Sacramentorum deprimunt: illi cum Novatianis numerum eorum imminuunt: nunc recte factorum meritum elevant: nunc Sacrorum religionem, eorumque princeps Sacrificium irrident. Sed hæc immania licet, leviora ſunt. Malorum enim omnium caput, quodque in ipſam uſque impietatem recta perducit, illud eſt, quod Patrum traditione rejecta, omnique auctoritate contemta, cuilibet

libet

libet vel de populo jus eſſe cenſent de rebus credendis cognoſcere, ſtatuere, judicare. En nova pro cujuſque arbitrio Religio. En Sociniani homines audaciores effecti, hac lege præeunte, quæcumque Litteræ ſacræ arcana docent, ad rationis humanæ amuſſim exigenda edicunt, ac per figuram quandam intelligenda: hinc Trinitatis, Incarnationis, Divinitatis Chriſti myſteria tollunt; Deum futura cognoſcere negant; æternas impios pœnas manere a morte, inficiantur. Quid, quæſo, de Religione Chriſtiana, imo de Religione univerſa reliqui tandem eſt? Sane perditorum horumce hominum perſequentes veſtigia, aliqui revelationem & gratiam funditus evertunt; dicunturque *Naturaliſtæ*. Aliqui Deum providentia Mundum adminiſtrare, eumque conſulere rebus humanis negant, & vocantur *Deiſtæ*. Aliqui demum aut Deum nullum agnoſcere, aut quod idem eſt, cum hac rerum Univerſitate confundere malunt, & *Athei* ſunt. Proh Superum fidem! adeone homines inſanire? Horreſcitis profecto Vos A. A. monſtra hæc atque prodigia inaudiendo: nihil tamen a me gratiæ

 cauſ-

Digitized by Google

cauſſa dictum putetis. Luſtrate animis Angliam, Bataviam, Helvetiam, Boruſſiam, magnam Germaniæ partem, eaſque impura atque funeſta hac lue pollutas videbitis: Fidem extorrem, Sacra ſublata, jura convulſa; Religionem denique, non ſolum revelatam, ſed & naturalem, aut extirpatam penitus, aut fœde labefactatam.

Quæ cum ita ſint, quis eorum, qui Chriſtiano cenſentur nomine, comprimere dolorem, temperare a lacrymis poſſit? quis non vehementer optare, ut labenti atque inclinatæ Fidei præſidium ferat, quæ una poteſt, Theologia? Iſtius enim diſciplinæ virtute ac munere, ut ajebat Theologus longe doctiſſimus Auguſtinus, (*a*) *Fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Iſtius eſt hæreticorum fallacias detegere, ſophiſmata diluere; orthodoxa dogmata explicare ſententiis, tueri argumentis: & ut Sapientiam decet, quæ dicebatur Antiquis *Scientia caput habens*, 'hoc eſt principia tenens, in ipſius revelationis veritatem inquirere; ejuſdem interpretandæ leges edice-

(*a*) Lib. XIV. de Trin. cap. 1. n. 3.

dicere, ac Tribunal, cujus judicio parendum ſit, indicare: queis profecto nixa fundamentis ſtat immota Religio, atque hærens veſtigio ſuo, non hæreticorum modo, ſed & impiorum omnium tela feliciter retundit.

Scio equidem A. A. his, in quibus vivimus, terris ſummo atque immortali Dei munere ſalvam rem eſſe. Quæ olim Gentium domina, nunc prima Fidei ſedes Italia eſt: & quæ totius Italiæ præclariſſimum decus, Venetorum Reſpub. in Fidei gremio nata eſt atque alta. Ab his procul eſſe regionibus hæreſis, & impietas jubentur. Agnoſco plane, A. A. tum etiam geſtio. Verum quem veſtrum latet, e tranſalpinis provinciis in noſtras urbes, velut miſſilia venenata tela, libros quotidie conjici, fœditatibus erroribuſque ſcatentes, qui cum in manus hominum (imo ſi Superis placet, & mulierculularum) ſuæ Religionis ac diſſidiorum, quibus diſtrahitur, non ſatis peritorum incidant; ſi non exprimunt ab eis aſſenſum, ſaltem in ambages ſuis elenchis & callido verborum artificio conjiciunt? Quem veſtrum latet, e noſtris pleroſque

452

tranſmiſſo mari & alpibus, Aquilonares peragrare regiones, atque tum demum ad ſuos regredi lepore quidem ac venuſtate affluentes, quo ſibi imperitæque multitudini belliſſimi videantur; ſed nonnunquam ſpoliatos Fide, eoque veneno impietatis illitos, quo utinam non inficerent & ſodales? Quam ob rem, ut obiter dicam, probe intelligimus, recte atque ſapienter *Spartanam Civitatem*, quemadmodum a Valerio Maximo memoriæ proditum eſt (*a*) *Civium ſuorum oculos a contemplanda Aſia retraxiſſe, ne illecebris ejus capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur*.

Quiſnam ergo, docendæ & vindicandæ Fidei negotium etiam apud nos iniquis hiſce temporibus perneceſſarium eſſe, non videat? Quis Theologiæ præſidium non vehementer imploret? Meum erit profecto neque labori, neque ſtudio parcere, ut cauſæ huic conſulatur. Cum primis vero in fæcem illam ſordemque librorum, quibus in dies labefactatur Religio, tandiu invehar, donec aut e legentium manibus excutiantur, aut fraudibus & præſtigiis, quibus abundant, per me de-

(*a*) Lib. II. cap. VI.

deteſtis repulſiſque, muniti undique Auditores mei contra pericula omnia ſtare poſſint. Hoc & ſuſceptum a me munus, & orthodoxæ religioſæque Reipublicæ, cujus beneficio mihi demandatum eſt, voluntas, & expeſtatio de me veſtra, quam ſuſtinere ac tueri vehementer enitar, omnino expoſcit.

In id porro eo libentius incumbam, quod his, in quibus degimus, terris, atque ornatiſſimo ex hoc loco, quem teneo, plene & cumulate perfici rem poſſe cognoſcam. Adeſte animis A. A. atque ſic habetote. Cum plures ex his, qui ſe Proteſtantes ferunt, atque ab Eccleſia Catholica extorres ſunt, graſſantem per hæc tempora impietatem animadverterent; ipſoſque Articulos, qui omnium conſenſu principes ſunt, & in quibus ſumma vertitur Chriſtianæ Fidei, a profanis hominibus oppugnari viderent, hi, inquam, in Academiis, ubi Theologiam profitebantur, ad communem Religionis cauſam orandam aggreſſi ſunt. Fuere præ cæteris Werenfelſius Baſileæ, Buddeus Ienæ, Amburgi Fabricius, Helmſtadii Moſheimius, Tiguri Zimmermannus: Lon-

Digitized by Google

454

dini vero celebris ille Boyleus ſtipendium perpetuum decrevit his, qui pro Religione Chriſtiana e ſuperiori loco dicturi eſſent; quam profecto ſpartam Woodwardus, Derhamus, Tillotſonus, Clarchii duo, aliique Theologi Proteſtantes in hanc diem adornarunt. Dicam porro A. A? audacter hercle libereque dicam: ſpes eorum ad irritum cadit: rem quidem conantur, ſed non perficiunt. Ut enim illud prætercam, quod eorum diſputationes plurimis graviſſimiſque erroribus, in quos a nobis abeuntes inciderunt, fœdatæ ſunt, magnum ſemper patentemque aditum evadendi hoſtibus relinquunt. Enimvero cum una ac rata Heterodoxorum omnium ſententia ſit, Sacras Litteras ſolam eſſe Chriſtianæ Fidei regulam, neque in terris tribunal falli ac fallere neſcium, cujus judicio ſtandum ſit, eſſe ullum; fit inde, ut *ſenſum*, & *canonem* Scripturarum, imo totius religionis negotium cujuſque arbitrio & poteſtati permittant. Argumententur igitur ac ſedulo diſputent adverſus novos perduelles Fidei, quos modo recenſui Doctores: irrita profecto, etſi juſtiſſima bella gerent, *nulloſque habitura triumphos.*

um.

umphos . Illi enim ſolemni eo Proteſtantium theoremate, tanquam vallo & foſſa muniti , ictus omnes eludent ; & jure ſummo *tolerandos*, ut ajunt, ſe eſſe, vel dum turpius errant, contendent. Hac ſane via & ratione nuperrime uſos Arminianos, & Unitarios, Collinſium , atque Woolſtonum , ad retundenda Anglorum, Batavorumque Theologorum argumenta pro Trinitate , & Gratia ; pro *litterali* Scripturarum interpretatione atque Canone , jam probe tenetis . Verum fallacia iſthac ſe ab oppugnationibus Catholicorum, quorum ego cauſam ex hoc loco tuebor, nequicquam protegent. Omnis elabendi obſepta atque intercluſa via erit. Etenim poſtquam Librorum , quos ſacros dicimus, divinitatem adverſus impios probavero, eadem perſpicuitate Eccleſiæ Catholicæ certiſſimam auctoritatem, ſine qua fruſtra dediſſet Libros illos Deus , contra omnes hæreticos demonſtrabo. Hujus autem jus eſſe non quidem nova condendi dogmata, ſed Patrum traditione conſulta de dogmatibus cognoſcendi, ac pronunciandi, definiam .

Neque profecto me movet quod nuperrime in nos e Batavia conjicit ſub-

tilis hercle Theologus Calvinianus: nos quidem una mente ac voce de certiſſima Eccleſiæ auctoritate conſentire omnes: at quodnam Tribunal illud ſit, cui irrogata e cœlo fuerit iſthæc auctoritas, inter nos neutiquam convenire aliis ſummo Eccleſiæ Hierarchæ, Concilio aliis, aliis utriſque ſimul eam tribuentibus: qua ex licentia ac varietate ſententiarum effici poſſe cogique putat, quam adeo jactamus ab errore immunitatem, irritam prorſus & ad hæreſes coercendas ſtatuendamque Fidem, aptam non eſſe. Hujus porro ſophiſmatis gratia, mirum A. A. quanta lætitia efferatur ille, atque geſtiat! tanta profecto, ut Academiam Pariſienſem, imo ſi Superis placet, Romanam Eccleſiam univerſam, quaſi indicto bello arroganter provocet ad reſpondendum. (*a*) Sed nugas agit, monſtraque comminiſcitur miles iſte glorioſus. Enimvero, ut priores illas duas, quas innuit ipſe, opiniones, cum neque temporis neque inſtituti hujus ſint, modo præter-

(*a*) Titulus libri eſt *Court examen de la Theſe de Mr. l' Abbè de Prades*. A Amſterd. MDCCLIII. Allatum ſophiſma legitur pag. 20.

tercam ; quiſnam , amabo vos , vel de populo ignorat , ſententiam illam , quæ Epiſcoporum cœtui cum Romano Pont. conſentienti , auctoritatem tribuit vera a falſis ſine ullo errore dijudicandi ac diſtinguendi , non Scholæ alicujus aut Gentis , ut homo hæreticus comminiſcitur , ſed univerſæ prorſus orthodoxæ Eccleſiæ vocem unam eſſe, quam ab Apoſtolorum ævo ad noſtra uſque tempora Fideles omnes re firmarunt , decretis ab hac tanta auctoritate profectis , veluti Fidei regulis, conſtanti religioſaque aſſenſione adhæreſcendo? En ergo Tribunal, unde divina nobis manare oracula certiſſime credimus. Faceſſat igitur hinc de medio cum ſuo illo ſophiſmate Calvinianus homo , quod an tantæ molis fuerit, ut bellicum canere, *totamque* , ut ille vocat , *Sorbonam* , Eccleſiamque univerſam ad illud repellendum ciere debuerit, probe tenetis. En nobis Davidis illa excitata turris, *ex qua mille pendent clypei*, *&* *omnis armatura fortium* . En nobis integra theologicorum decretorum complexio, *velut acies ordinata caſtrorum* , ſepta undique , appoſitiſque argumentis, quaſi armis præſidiiſque

que firmata. Ubi enim Tribunal agnovimus, ex quo oracula inſtinctu divino afflatuque funduntur, jam qua via & ratione ſive interpretari Scripturas, ſive enarrare myſteria, ſive controverſias definire, ſive criticem moderari, ſive docere credentes, ſive profligare hoſtes Fidei, juſtumque de eis deportare triumphum poſſimus, perſpectum habemus exploratumque..

Id profecto, ſi D. O. M. opem auxiliumque tulerit, quemadmodum hactenus a clariſſimo Collega meo in hac alma Univerſitate S. Theologiæ Profeſſore (*a*) egregie præſtitum eſt, me quoque pro virili præſtiturum eſſe confido: iſque mihi dat animos, quem hactenus privatis rationibus, nunc vero publico S. C. ducem ſequor & auſpicem, Thomas Aquinas. Vir ſane excellenti ac prope divino ingeniò præditus, qui non ſolum diſciplinarum omnium inſtituta tenebat, ſed & Sacrarum Litterarum oraculis, & Eccleſiæ ſcitis, & SS. Patrum, Auguſtini præſertim, doctrinis mirifice eruditus; hæc omnia in ſangui-

(*a*) Is eſt R. P. M. Franciſcus Leoni Ordin. Min. Convent.

guinem, ut ita loquar, ſuccumque convertit; ac Theologiam univerſam non immenſa quadam ſententiarum coacervatione conflavit; ſed mirabili ratione ita digeſſit concinnavitque; ut præjactis, quæ modo diximus, fundamentis, eximia ac prorſus geometrica methodo ex ſimplicioribus atque perſpectis ad ea, quæ ſublimiora arcanaque ſunt, perducens, humana atque divina, quæ cognitionis, & quæ actionis ſunt univerſa, unius ſcientiæ ambitu, unoque ratiocinationis filo complexus ſit: ea perſpicuitate, ut ſcholio obſcuretur: ea veritate, ut error omnis pellatur: ea vi atque præſtantia doctrinæ, ut his ſolum non vehementer probetur, queis eum aut legere, aut intelligere datum non eſt. Hunc unum vidiſſe omnia, fateri cogimur, ac de omni re, ſive ad naturalem, ſive ad divinam Theologiam pertinente, quæ in diſceptationem quæſtionemque in dies vocatur, ſubtiliter, preſſe, enucleate dixiſſe: erroreſque illos, quos impii homines in Eccleſiam evomunt, prænoviſſe ac prædamnaſſe: quod ornatiſſimæ nobiliſſimæque juventuti, ut data occaſio fuerit, indicabo. Neque ſane

ne abſque ingenti animi voluptate ipſos viſuros puto modo Spinoſæ *pantheiſmum*, modo *fataliſmum* Hobeſii, modo Baylii *dualiſmum* proſtratum. Hinc ſophiſmata Socinianorum contra Chriſti divinitatem, hinc Remonſtrantium errores contra efficacitatem gratiæ, hinc denique monſtra omnia, quæ velut recens orta, in tranſalpinis regionibus imperiti ſuſpiciunt, ab Aquinate Doctore convulſa funditus, & extirpata. Tanti igitur Magiſtri ductu, optimique Patroni clientela & fide nixus, docendi primordia capiam. Impetret ipſe a præpotente Deo, quod Syracidis filius olim enixe rogabat, *ut det ille mihi Sedium ſuarum aſſiſtricem Sapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret*. Faveant conatibus meis Ampliſſimi Rei litterariæ curandæ atque augendæ Triumviri, queis utinam ita obtemperare poſſim, ut neque illos collati muneris, neque me ſuſcepti pœniteat. Faveat Urbis hujus Prætor ac Propræfectus Franciſcus Maurocenus Eques, & Senator, de quo ſi pudore quodam deterreor, quominus præſentem laudem, illud unum, ſed hercle maximum dicam, dignum eſſe Michaelis Mauroceni Equitis

filium,

filium , dignum Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci nepotem. Adſis mihi tu quoque , præſtantiſſime Profeſſor ac Prorector & Syndice (a) generoſiſſime , cujus familiaritatem atque doctrinam jam a pluribus annis colui ſemper atque ſuſpexi: cujuſque aſſiduo publice privatimque docendi munere juventus eruditur, morumque integritate ad honeſtatem formatur. Faveant clariſſimi almæ hujus Academiæ Profeſſores, quos equidem, ut mei Ordinis collegas ſocioſque , vehementer diligo , ob præſtantem vero ac ſingularem, qua in omni ſcientiarum genere vi ingenii pollent , tanquam Magiſtros obſervo, atque dum vixero , obſervabo . Faveant ornatiſſimi ac lectiſſimi Adoleſcentes, quorum ſtudiis atque profectui , ſi quid in me opis fuerit , libentiſſime inſerviam. Antiquiſſima denique ac nobiliſſima faveat, quæ hactenus tanto me amore proſequuta eſt , Civitas hæc univerſa , cui veluti æternum obſervantiæ gratique animi mei pignus, Virgilianum illud eſto

Iſta

(a) Hoc munere fungitur R. P. D. Albertus Columbus Caſinenſis , Aſtronomiæ, Geographiæ , & Meteororum Profeſſor.

462

Iſta meos, *primum* quæ me ſibi junxit, amores
Abſtulit. *Iſta* habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.

FINIS.

Digitized by Google